

rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi (1) ». Praedixit etiam res futuras, nulla mere humana sagacitate cognoscibiles, quemadmodum Petri trinam negationem, antequam gallus cantet (2): item subversionem templi hierosolymitani: Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit: Haec quae videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat (3); passionem quoque, mortem et resurrectionem suam iuxta illud (4): Assumpsit autem Iesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, et consum-

(1) Ioan. c. 4, v. 17, 18, 19, 28, 29, 59, 40, 41 et 42. Ex toto hoc contextu Evangelii s. Iohannis patet, quam inepte Woolstonus (teste cl. Thoma Cerboni in Theologiae revelat. tom. 2, l. 5, q. 1, art. 2, § 2, n. 4) de Christo effutiat, cum antea secreto comperiisse, quae mulier illa Samaritana egerat, corundemque notitia usum deinde fuisse, postquam in memorato colloquio animadvertit, a muliere se libenter audiri. Nam contra est primo: Iudaei (uti habetur Ioan. c. 4, v. 9) cum Samaritanis non contabantur, et Samaritani a Iudaeis aversi erant, proindeque si simpliciter impossibile non erat, ut Christus a Samaritanis noscere potuerit, quae illius mulieris vitae ratio fuisset, saltem hoc valde difficile erat, et difficultatibus plenum, nec ullum probabile argumentum id asserendi, seu Woolstonus, seu alii increduli asserere potuerunt, aut poterunt. Secundo: Ipsa mulier a Christo audiens, se habuisse quinque viros, et eum, quem habebat, non esse suum, maximo stupore capta fuit, atque ob id Christum prophetam esse putavit. Hoc autem manifesto argumento esse debet, et rem illam (praesertim, quod vir, quem mulier tunc habebat, non sit ipsius legitimus maritus) pervulgatam non fuisse, et ipsam hanc mulierem exi-

mabantur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus; et illudetur, et flagellabitur et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur. Ad haec, admiranda dexteritate subdolas sadducaeorum et pharisaeorum interrogationes solvit et confutavit. Sic, cum a pharisaeis, ut caperent eum in sermone, tentaretur super censu dando Caesari (5), et a sadducaeis, super resurrectione (6), sapientissime utrisque respondit; vicissim quoque interrogavit pharisaeos, cuius filius sit Christus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, di-

stimasse, fieri non potuisse, ut Christus rem istam percipiendo intellexisset. Tercio: Quando mulier illa Samaritana dixit (citato cap. Iohannis v. 29): Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci; numquid ipse est Christus? Samaritani, quamvis Iudaeis infensi essent, non reposuerunt (sicut Woolstonus impudenter facit) omnia ei dicta ab hoc homine fuisse, quae ipse prius secreto ex aliis comperire curarat; sed potius (Ibidem v. 59 et seqq.) Ex civitate... Illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis; quia dixit mihi omnia quaecumque feci. Cum venissent ergo, etc. Si ergo Christus tam per ea, quae mulieri, quam per alia, quae Samaritanis dixit, Samaritanorum in se fidem ac venerationem conciliavit, quamvis Samaritani Iudaeis infensi essent, dicendum omnino est, utraque in se habuisse argumenta manifesta plus quam humanae sapientiae Christi Domini. Atque haec ad refellendam puditissimam illam Woolstoni calumniam abunde sufficiunt.

- (2) Matth. c. 26, v. 54.
 (3) Luc. c. 21, v. 5 et 6.
 (4) Luc. c. 18, v. 51-54.
 (5) Luc. c. 20, v. 22-27.
 (6) ibidem, v. 27-41.

ens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis?... Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare (1). His omnibus accedit quod ab ipso Iosepho Iudaeo, quantumvis pharisaeo, in testimonio supra (2) citato appelletur Vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilem operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur, etc. An haec omnia hominem insanum et emotae mentis arguunt? An non potius admirabili et prorsus divina sapientia plenum?

27. Ostenditur iam II. MEMBRUM, quod CHRISTUS NON FUERIT HOMO SCCLERATUS ET IMPOSTOR, volens homines in re gravissimi momenti (nempe dicendo, se esse Filium Dei naturalem) decipere. Demonstratur hoc, inquam, ex eius sanctitate et vita innocentissima, in qua nec hostes quidem ipsius infensissimi Iudaei levissimum naevum deprehendere vel eum fundamentum asserere potuerunt, sed opus habuere coram Pilato falsos testes adducere, a quo tamen post exactum examen inventus est innocens, quemadmodum testatur s. Matthaeus evangelista (3) his verbis: Principes autem sacerdotum, et omne concilium, querebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent: et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, etc. Et sequenti capite 27, v. 22-25: Dicit illis (Iudaeis) Pilatus: quid igitur faciam

- (1) Matth. c. 22, v. 42, usque ad finem citati capitis.
 (2) Ad finem num. 25.
 (3) Cap. 26, v. 59 et 60.
 (4) Cap. 25, v. 15 et 14.
 (5) Sect. 4, num. 157, et seqq.

de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis. Similiter s. Lucas (4) testatur his verbis: Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem (Iesum Nazarenum) quasi avertentem populum; et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.

Praeterea Christi sanctitas et innocentia elucet ex doctrina eius sanctissima, de qua infra (5) ex instituto agemus; item ex potestate patrandi miracula in confirmationem suae doctrinae et divinitatis, ut pariter infra (6) demonstrabimus; et ex testimonio Iosephi Iudaei iam supra (7) citati etc.: ergo Christus non fuit homo sceleratus et impostor.

28. Verum OPPONIT larvatus ille Horus, cuius deliria et blasphemias iam saepius alibi (8) refutavimus, ac ait, Iesum quidem neque hominem insipientem aut mente captum, neque sceleratum impostorem, sed potius ob excellentem intellectum ac sublimia sensa, quae fovit, simulque ob eximiam prorsus erga homines benignitatem maxime amandum ac venerandum fuisse: at tamen obscuris persicorum magorum doctrinis, et astrologorum somniis, nec non prophetarum suae (i. e. Iudaicae) nationis vaticiniis

- (6) Num. 50, et seqq.
 (7) Ad finem num. 25.
 (8) Vide Script. s. contra incredulos propugn., V. T., part. 6, sect. 4, n. 5, et sect. 2, n. 57, et seqq.; item n. 84.

ita implicatum, ut sibi persuasissimum haberet se esse Messiam: sicque turpiter deceptum ex fanaticismo decepsit alios. Verba dicti famosi auctoris in impio opere suo (1) germanice edito in latinum translata significant: *Quod autem Iesus fuerit vir excellenti intellectu, et sublimibus sensis, maximaque erga alios benignitate praeditus, negari vix aut omnino non potest: nam in hoc omnes quatuor evangelistae unanimiter consentiunt, quamvis alias ipsius gesta diverso modo narrent. Et iterum (2): Similiter Iesus non erat impostor, sed verus amicus humani generis, qui tamen pariter obscuris persicorum magorum doctrinis, et astrologorum somniis, nec non vaticiniis prophetarum suae nationis tantopere implicatus est, ut se Messiam esse, certissimo sibi persuaderet. Ita Horus.*

Sed hac responsione nostrum argumentum praecedente numero contra hostes divinitatis Christi allatum non enervatur, nec nodus difficultatis solvitur, sed potius crassa *Hori*, aliorumque cum ipso sententium incredulorum ignorantia, et seipsam evertens contradictio manifeste proditur. Quomodo enim *Iesus* dici potest vir excellentis intellectus, etc. et simul tam exiguae

(1) In secunda edit. an. 1784, p. 525.

(2) Ibidem, pag. 529.

(3) Ipse *Horus* loc. cit. pag. 419 et 420, videri posset quodammodo fateri, Christum se dixisse Filium Dei non tantum adoptivum, sed naturalem. Verba *Hori* latine translata sunt: *Quod Christus seipsum Filium Dei esse professus sit, probatione non indiget. Id enim... posset ex centenis et amplius Scripturae locis demonstrari. De eo solum hucusque dubitabatur, utrum Christus eo dumtaxat sensu, Deum esse patrem suum, existimavit, quo omnes homines praecipue vero pii Deum iure patrem suum, et se ipsius filios nominant; vel an potius sibi persuasum habuerit, se a nullo homine, sed immediate a Deo genitum, altamen etiam ex humana matre natum esse, ac proin-*

ac debilis perspicaciae, ut ne quidem fabulositatem mythologiae persicorum magorum, vanaeque astrologorum doctrinae agnosceret, sibi que ex vaticiniis prophetarum male intellectis (ut quidem *Horus* blasphemavit) firmiter persuaderet, se esse Messiam et verum Filium Dei (3)? Quomodo dici potest verus amicus humani generis, maximaque erga alios benignitatis, si fuit tam malitiosus, ut suos discipulos, totamque nationem per miracula non vera, sed dumtaxat apparenter talia decipere studuerit? Ex. gr. si eius transfiguratio in monte tantum fuit illusio optica tralucens per virgulta lunae, prout *Horus* (4) fabulatur, et nos infra (5) refutabimus; si, inquam, illa non nisi oculorum illusio fuit, cur Christus pro summa sua erga discipulos benignitate hunc errorem eisdem non detexit, sed potius eundem confirmavit, et in eo discipulos reliquit, dicens: *Nemini dixeritis visionem (hanc), donec Filius hominis a mortuis resurgat (6)?*

29. COROLLARIUM I. Quamvis ex incredulis aliqui aperte dicant, Christum fuisse impostorem, quemadmodum patet ex blasphemo illo lib. cui titulus: *Moses, Christus, Muhammedus, tres maximi impostores*

*duas naturas habuisse, unam acceptam a Deo Patre suo, alteram a muliere matre sua. Verum hanc litem dirimere nolo, sed potius ostendere, quod Christus non tantum suum patrem terrenum, sed etiam matrem suam abnegaverit, firmiterque crediderit, Deum solum esse Patrem suum et Matrem suam. Igitur Christus (fatente ipso *Horo*) se non Filium Dei adoptivum, qualis est omnis homo iustus, sed potius Filium Dei naturalem, ac proin verum Deum esse, asseruit. Quod autem Matris suae cognitionem non negaverit, sed dumtaxat spirituales praetulerit, infra n. 72 et seqq. contra *Horum* ostendemus.*

(4) Loc. cit. pag. 341, 342.

(5) Sect. 5, n. 106, et seqq.

(6) Math. c. 17, v. 9.

res; Horus vero expresse neget, Christum fuisse deceptorem, et eundem solummodo tanquam fanaticum et obscuris persicorum magorum doctrinis et astrologorum somniis et vaticiniis iudaicorum prophetarum male intellectis deceptum hominem describat: tamen omnes hostes christianae religionis (1) ex una parte Christum laudant, ex altera parte id quod veritatis evidentia coacti adstruxere, iterum destruunt, et re ipsa negant: ut denique captiosis suis circuitibus nil aliud revera inferre contendant quam Christum, qui se Messiam et Filium Dei professus est, fuisse deceptorem. Hinc sedulo cavendum, ne adulatoriis laudibus, quibus *Horus, Rousseavius* (2) aliique increduli *Iesum* tanquam amatorem humani generis, virum prorsus eximium, et doctorem ethices seu moralis scientiae excellentem, extollere solent, fallamur. Reapse enim perniciosissimum venenum in aureis calicibus propinant ad incautos lectores decipiendos: et huc quadrat effatum illud s. Scripturae (3) ad fallacem amicitiam visis coloribus exprimentam prolatum: *Molliti sunt sermones eius super oleum: et ipsi sunt iacula*, hoc est, amicus fallax utitur verbis oleo mollioribus ad homines inescandos et fallendos, cum ipsi sermones sint spiculis nocentiores.

COROLLARIUM II. Nec *Horus*, nec ullus alius incredulorum suis scriptis prudentes et aequos historiae evangelicae, rerumque a Christo gestarum aestimatores unquam inducet, ut credant, Christum qui a deo sapiens (4), mitis et humilis corde (5), ac ab omni inordinata a-

nimi affectione alienissimus seniper fuit, eo insaniae, fastus et superbiae esse delapsus, ut se Deum esse diceret, idque sibi firmissime persuaderet, etiamsi (ut increduli blasphemant) Deus non esset. Certam pridem seraphicus doctor s. *Bonaventura* divinitatem Christi ex eiusdem passione et morte his verbis (6) intulit: « Peto, an Deus erat iste, qui passus est, an non? Si sic, habeo propositum... Si autem dubitas; ostendo tibi ex ipsa passione, ipsum fuisse Deum. Nam si non erat Deus, et dicebat se Deum esse, erat superbissimus hominum, immo et daemonum: quia Lucifer nunquam dixit se esse Deum, licet quantum ad aliud voluerit esse similis Altissimo. Sed sic superbum impossibile est, tantam deiectionem, illusionem, passionem et ignominiosam mortem subire, tam voluntarie, tam humiliter, tam pacifice, et velle cum peccatoribus reputari ».

SCHOLION. Sunt equidem multa, quae increduli contra SAPIENTIAM et SANCTITATEM Christi blasphema effutiunt: sed ista alibi per decursum huius operis commodius refutabimus.

30. QUÆRES IV. *An divinitas Christi etiam ex eiusdem miraculis in evangelio recensitis demonstrari possit?* R. Affirmative, et ita argumentor: Christus patravit vera miracula in confirmationem suae divinitatis: atqui est impossibile fieri miraculum in confirmationem doctrinae falsae: ergo Christus est verus Deus. MAIOR demonstratur. Nam quod Christus patravit vera miracula, ex instituto ostendemus infra (7): quod autem in confirmatio-

(1) Vide infra sect. 4, num. 158.

(2) Vide infra ibid. n. 157 et 158.

(3) Psal. 54, v. 22.

(4) Vide praecedentem num. 26.

(5) In opusculo, cui titulus: *Stimulus divini amoris*, p. 4, c. 6.

(6) Vide infra num. 98-106.

(7) Num. 98-106.

nem suae divinitatis miracula fecerit, patet imprimis ex evangelio s. *Ioannis* (1) attestantis: *Multa quidem et alia signa fecit Iesus.... quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus Christus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Porro inter miracula, quae Christus edidit in confirmationem divinitatis suae, unum ex praecipuis fuit resuscitatio *Lazari* iam 4 dies in monumento habentis. Quod enim Christus hoc miraculum praecipue in confirmationem suae divinitatis direxerit, constat ex verbis Christi *Lazarum* resuscitari volentis. Nam cum lapidem sepulcralem tulissent (2), *Iesus elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credat quia tu me misisti.* Quasi diceret: « Causa, propter quam, o Pater, has tibi nunc publice gratias ago, ea est ut populus qui adest, et coram quo opus tam insigne molior, credat me esse Filium tuum a te in hunc mundum missum ». Similiter, quod miracula in confirmationem suae divinitatis a se facta sint, Christus clare asseruit, dum iudaei ipsum, quia se Filium Dei dixit, lapidare volebant. Ait enim ad eos (3): *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Identidem nimirum Christus appellat ad opera sua, id est, miracula, quae faciebat iussu et potestate supernaturali Dei Patris: haec enim utpote divina, evincebant, ipsum esse Dei Filium a Deo mis-

(1) Cap. 20, v. 30, et 31.

(2) Ioan. c. 11, v. 41 et 42. Porro, quod resuscitatio *Lazari* fuerit verum miraculum, ostendemus infra sect. 5, num. 83-97.

(3) Ioan. c. 10, v. 37.

sum ad mundi salutem. *Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre,* per eandem deitatem et omnipotentiam quam ab eo accepi. Vide de hoc Scripturae loco plura hanc in rem supra (4). Praeterea unum ex celeberrimis etiam fuit miraculum illud, quod s. *Ioannes* in suo evangelio (5) narrat de illuminatione hominis a nativitate caeci. Hoc enim miraculum praecipue destinatum fuisse ad manifestandam Christi divinitatem, luculenter ostenditur ex eo, quia Christus de hoc caeco ad discipulos suos ait (6): *Nec hic peccavit, nec parentes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Quasi diceret: « Causa, cur hic caecus est, nec est peccatum aliquod eius nec parentum ipsius, sed ut opera divinitatis meae in ea caecitate expellenda declarentur et mundo manifestentur ». Confirmatur id ipsum ex eo, quia cum iudaei eiecissent hunc caecum illuminatum e synagoga, quia palam praedicabat hoc miraculum, Christus ei obviam factus (7) ait: *Tu credis in Filium Dei? Et cum ille respondisset: Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et prociens adoravit eum.* Ex quo denuo concludimus, quod Christus, quando se dixit Filium Dei, voluerit indicare, se non adoptivum, sed naturalem Dei Filium, ac proin verum Deum esse, ut iam supra (8) probavimus.

31. Demonstravimus hucusque MAIOREM nostri argumenti, videlicet,

(4) Num. 25.

(5) Cap. 9, v. 1, etc.

(6) Ibidem, v. 5.

(7) Ibid. v. 53-59.

(8) Num. 25.

quod Christus vera miracula patra-
verit, et quidem in confirmationem
suae divinitatis. Restat demonst-
randa MINOR, quod Deus in confir-
mationem falsae doctrinae non possit
miracula patrare, nec homini tri-
buere facultatem patrandi miracula.
Miracula enim ex se et ex natura
sua sunt *sigillum* Dei (ut a ss. pa-
tribus appellantur) ordinatum ad
confirmandam aliquam rem vel do-
ctrinam: atqui Deo non solum re-
pugnat falsum loqui, sed etiam fal-
sam creaturae locutionem suo testi-
monio confirmare, et suo quasi si-
gillo munire: ergo repugnat, ut Deus
faciat miraculum ad confirmandam
assertionem seu doctrinam falsam,
aut homini communicet potestatem
faciendi miracula, et permittat ut
ea abutatur ad confirmandam do-
ctrinam falsam. Hoc enim perinde
esset ac permittere, ut seductor
consignaret mendacia sigillo illo,
quo Deus ipse veritatem signat,
ut inquit *Bellarminus* (1), confir-
mans suum assertum illis Scriptu-
rae verbis (2): *Contestante Deo si-
gnis.... et variis virtutibus.*

CONFIRMATUR. S. *Augustinus* (3)
de miraculis loquens, expresse do-
cet, quod sicut homines verbis, ita
divina potentia etiam factis loqua-
tur: *Sicut humana consuetudo, in-
quit, verbis, ita divina potentia et-
iam factis loquitur.* Deus ergo lo-
quitur operibus mirabilibus. Unde
sicut nequit falsum loqui, ita mira-
culis nequit falsum confirmare.

(1) L. 4 de Notis Ecclesiae, c. 14.

(2) Ad Hebraeos c. 2, v. 4.

(3) Epist. 49, q. 6.

32. SCHOLION I. Equidem sunt
praeter haec allata adhuc plura
alia argumenta quibus solide pro-
batur divinitas Christi, ex. gr. ex
prophetiis V. T. in *Iesu Nazareno*
tanquam vero Messia et Filio Dei
impletis, ex eius gloriosa resurre-
ctione etc., quae singula *Thyrsus*
Gonzalez (4) doctissime profert et
stabilit. Verum, ne praesens opus
nostrum in nimiam molem excre-
scat, prius dicta sufficiant, et revera
sufficiunt. Alia potentissima argu-
menta pro divinitate Christi legi
possunt apud laudatum auctorem,
aut alios, qui de hoc dogmate scri-
pserunt, quales ex. gr. sunt *clar.*
Anton. Ziegler in dissertatione *de*
Incarnatione Verbi Ingolstadii typis
edita et publice propugnata an.
1753 quaest. III. Item *cl. Aloys.*
Merz in opusculo Augustae an. 1786
germanice edito (5), quod latine sic
verti posset: *Daturne pertinacia et*
audacia similis pertinaciae et au-
daciae naturalistarum, incredulo-
rum, et quorumcunque demum a re-
ligione christiana alienorum? In quo
scripto ostenditur mira consensio
inter vetus et novum Testamentum
circa Christum tanquam Messiam,
Redemptorem mundi, verumque
Deum et hominem.

SCHOLION II. Obiectiones, quas in-
creduli contra nostra argumenta
superius allata (6), nempe contra
sapientiam, sanctitatem et miracula
Christi in medium proferunt, ali-
bi (7), commodius solvemus.

(3) *Hat wohl die Hartherzigkeit und Verwegenheit der Naturalisten, der Freydenker, und aller Uchristen eine ihres gleichen?*

(6) Vide supra n. 25, usque ad n. 52.

(7) Patchit hoc ex sequenti sect. 5.

SECTIO III.

DE MIRACULIS CHRISTI IN S. EVANGELIO RECENSITIS

Est hoc argumenti genus altiori indagine dignum; quia increduli nostrae aetatis, *Voltaire* (1), aliique cum *Spinozistis*, naturalistis, ceterisque huius furfuris philosophastris quaevis miracula, aut certe eorum pleraque ceu inania, ridicula, aut omnino impossibilia explodere solent. Horum itaque incredulorum inscitiam ac impudentiam demonstraturi, agemus primo de miraculis in genere; dein de miraculis Christi in specie, ac primo quidem de his universe spectatis, dein vero de eorum praecipuis particulatim consideratis.

CAPUT I.

De miraculis in genere.

33. QUÆRES I. *Quid sit miraculum?* R. Ex variis, quae a theologis et philosophis traduntur, definitionibus miraculi optimam censeo hanc: *Miraculum stricte tale est effectus supernaturalis, insolitus.* Adhuc alii vocem *sensibilis*. Dum enim *miraculum* vocamus, rem quasi admiratione plenam designare volumus, quae sensibus nostris patet, et omnibus sit manifesta, quaeque Deus tanquam signo quodam extraordinario nobis suam voluntatem et gloriam manifestare vult. Itaque, si hoc sensu accipias *miraculum*, id definiendum erit, quod sit *effectus supernaturalis, insolitus et sensibilis*. Dicitur I. *Effectus supernaturalis*, id est, cuius ratio suf-

(1) In suo Diction. philos. art. *Miracles*.

(2) Veteres aliis verbis dixere: « Effectus supernaturalis est, qui vires et

ficiens existentiæ non est in natura creata (2). II. *Insolitus*, qua voce hic non significatur rarum quid aut infrequens, sed aliquid, quod fit contra aut praeter solitum seu communem naturae vel gratiae cursum et ordinem. Nam etiamsi quis quotidie ex. gr. mortuos resuscitaret, tamen miraculum esset, quia id praeter communem naturae cursum contingeret, ut s. *Thomas* (3) bene observat. III. *Sensibilis* ob rationem paullo ante allatam. Ex hac definitione sequuntur haec corollaria.

34. COROLLARIUM I. Quidquid angeli seu boni seu mali viribus suis naturalibus praeter aut contra ordinem, et leges naturae communes faciunt, non est miraculum *stricte et proprie* tale; quia id non superat vires totius naturae creatae, nempe angelicae; nihilominus multi id, quod angeli ex speciali iussione Dei praeter aut contra communem ordinem naturae faciunt, vocant *miraculum*, scilicet *in sensu latiore* acceptum. Hi proin si miraculum tam stricte, quam late tale una definitione complecti velint, dicere debent: *Miraculum est effectus insolitus immediate a Deo, vel a creatura ex speciali iussu ac voluntate Dei productus.*

COROLLARIUM II. Complura in ss. literis et sanctorum actis miracula recensentur, quae angelorum viribus naturalibus (quarum limites quidem nobis incognitae sunt) evenire potuerunt; et tamen pro veris

exigentiam totius naturae creatae superat.

(5) In 2 dist. 18, q. 1, art. 3 ad secundum.

miraculis, nempe in sensu latiore acceptis habentur, ut mutatio aquae in vinum, sol consistens ad imperium Iosue etc. Ratio est; Deus angelicam inter et humanam naturam ordinem quemdam constituit; vi cuius certa beneficia per angelos hominibus exhiberi pro sua benignitate voluit; ita tamen, ut viribus suis praeter aut contra ordinem naturae consuetum nunquam utantur nisi ad eiusmodi extraordinarium effectum praestandum speciatim mittantur a Deo, a cuius nutu semper plenissime pendent. Unde licet in rigore metaphysico huiusmodi operationes angelicae miracula stricte dicta et effectus supernaturales non sint, quia vires naturae angelicae non superant: dici tamen possunt miracula in sensu quodam latiore, ac recte admittuntur pro legitimis probationibus sanctitatis, et immiscens se Numinis, praesertim ubi de hominis, cuius intercessione ea patrantur, virtutibus per processum praevium beatificationis aut canonizationis iam aliunde satis constat.

COROLLARIUM III. Creatio animae rationalis, quamvis vires totius naturae creatae transcendat, non tamen est miraculum, quia non est effectus *insolitus*; sed fit a Deo iuxta communem naturae legem, foetu humano in utero materno rite disposito.

COROLLARIUM IV. Quamvis omne miraculum (si stricte tale sit) effectus supernaturalis, seu superans vires et exigentiam totius naturae creatae esse debeat; non tamen vicissim omnis effectus supernaturalis est miraculum. Nam iustificatio impii, aliaque supernaturales operationes, quae a Deo in nobis fiunt iuxta stabilem quandam legem supernaturali fini nostro accommoda-

(1) Vide sequenti num. 35, divisionem miraculi in *stricte et late* tale.

tam, item connectio eucharistiae, aliorumque sacramentorum non recensentur inter miracula, quia non sunt effectus *insolitus*, sed fiunt iuxta communem *gratiae* ordinem, in hac providentia a Deo statutum. Si tamen iustificatio impii fiat subito et repente, Deo tam vehementer animam movente, ut statim quandam iustitiae perfectionem assequatur (prout factum est in conversione d. Pauli), talis mutatio iuxta d. *Thomam* (1) est, et recte dici potest *miraculum gratiae*. Sicut enim instantanea sanatio gravis morbi miraculosa est, quia praeter communem naturae ordinem est; ita repentina illa conversio censetur miraculosa, quia praeter communem *gratiae* ordinem fit.

COROLLARIUM V. Mala est miraculi definitio, quam *Spinoza* statuit, qui *miraculum* vocat naturae opus, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus. Similiter alii inepte philosophantur, qui quodvis mirabile cum miraculis miscent, quasi monstra quoque in numero miraculorum essent. Genuinus enim character, quo miraculum ab aliis naturae operibus discernitur, in eo consistit, ut effectus aliquis universae naturae creatae vires ac leges communes excedat, aut saltem, ut ex speciali Dei iussu et voluntate fiat contra vel praeter consuetum ordinem naturae et gratiae.

35. QUÆRES II. *Quotuplicis generis miracula sint?* R. Miraculum varie dividitur, et primo quidem in stricte et late tale, uti praecedente numero 34, Corollar. I, iam indicavimus. Nimirum *Miraculum stricte tale* est effectus insolitus (2) excedens vires totius naturae creatae, ex. gr. resuscitatio mortui; prout

(2) Vox *insolitus* hic sumenda est in sensu n. 53 explicato.